



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Aliæ gratiæ, & dona. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Virginitas curtus igneus est; sursum ferens, quem vehit. Blesensis in festo OO. SS.

Supplementum angelicæ ruinæ ex folis virginibus fieri verisimile est; cum alij tantâ non accedant ad Angelos affinitate. Imò, teste veritate Luc. 5. 36., novi panni non congruè assuuntur panno veteri; sicut è contrario commistura veteris non bene assueretur novo. Quod, etsi in Scriptura non adeò inveniatur expressum; sufficere tamen potest ad ejus assertionem, quòd neque nubent &c. Sed erunt sicut angeli Dei. Matth. 22. 30. Idem f. 28. in assumpt. B. Virg.

§. III.

Virginitatis prærogativa, gratia, speciales revelationes &c.

Tunc Holofernes præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam. Judith 6. 7. Bethulia idem est, quod Dei Virgo. Huc missus ab Holoferne Achior, lucis frater. Quò enim lucis candorem mitti oportebat, nisi ad Dei Virginem? nam Virginitas multò splendore lucret. Sibyllis profuit ad sapientiam Virginitas. S. Hieron. l. 1. contra Jovin. quarum insigne virginitas; & virginitatis præmium, divinatio. Velloso in Judith 6. Paræn. 1.

Dominus est. Joan. 21. 7. Solus Joannes, Christo apparente piscantibus, eum, & primus agnovit. S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum: Solus Virgo Virginem agnoscit. Et S. Cyrillus: Joannes propter mentis puritatem, & cordis, oculorum acumen, ad intelligendum erat aptissimus. Unde solus signum statim intellexit, & Christum adesse cognovit, & alijs, nihil dubitans, significavit. Cornelius in ep. S. Joannis Proemio. Inter omnes sanctos Apostolos, & Evangelistas, de nullo legitur, tot, tantisque revelationes habuisse; sicut S. Joannes Evang., & S. Paulus. Cujus ratio esse videtur: quia hi duo sacri viri erant Virgines; ceteri verò non; quia erant conjugati, ut S. Ambrosius affirmat super ep. 2. Cor. c. 11. Diez. conc. 2. in Comm. Virg. Joannes magnus paradisi fluvius, qui ex principali sui fontis origine profluens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat. Et non immeritò tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis Virgini debebatur: ut qui carnis sibimet amputavit illecebras, felici commercio pro carnali dulcedine, cœlestium epularum divitijs fruereetur. B. Petrus Damiani f. 1. de S. Joanne.

Huic erant quatuor filie prophetantes. Act. 21. 9. Sapientia præmium est Virginitatis: ut patet in Sybillis, quæ ob Virginitatem tantum donum assecuta. Sylveira hic.

Prudentes animæ, & mundæ, ut Virgines; cum intelligant se sitas esse in mundana inficitia; lumen accendunt, & mentem excitant; tenebras illuminant, & ignorantiam expellunt. S. Clemens Alex. l. 5. Strom. c. 2. de Virginit. prud.

Polyanth. Sacra Tom. II.

In castitate, & scientia. 2. Cor. 6. 6. In qua virtutum conjugatione evidentissimè nos voluit erudire; de castitate ad scientiam perveniri. Nestor apud Cassian. Coll. 14. c. 16.

Quid aliud Virgines sanctas, nisi Dei Secretarias, dixerim? His sua Deus pandit arcana, his abscondita mysteria revelat: has visitant angeli; has perficiunt, has exornant thesauris cœlestibus. S. Thom. Vill. Conc. 2. de S. Dorothea.

§. IV.

*Alia gratia, & dona.**Ex Veteri.*

ET post hæc mortuus est Josue. Jos. 24. 29. Invenies, tantum Principem nullò planctu sepeliri. Diebus septuaginta Jacob defunctus deploratur. Gen. 50. 3. Aaron triginta Num. 20. 30, totidem Moyses. Deut. 34. 8. S. Hieron. l. 1. contra Jovin: Moyses moriens plangitur à populo Israel: Jesus autem quasi victurus post mortem non plangitur: nuptiæ enim finiuntur in morte; Virginitas post mortem incipit coronari. S. Bernardus ep. 42. hæc enim est instar odoriferi balsami, quò condita cadavera incorrupta servantur. Escobar t. 1. Mir. Chr. P. 4. Sect. 9. Obf. 3.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Cur ad tantam affluentiam donorum inducitur? Dictum paulò antè de ea: sicut lilium inter spinas; ubi per lilium Virginitas, & puritas animæ, laudantur, teste S. Ambrosius. l. de Virgin. S. Bernardo f. 48.

Pascitur inter lilia. Cant. 2. 16. Chald. inter rosas. Septuag. Pastorem agens in lilijs. Hebraicè verti potest: qui pascitur lilijs, id est, oblectatur Virginibus, æquè ac virtutibus. Cornelius hic. Pascitur inter lilia, cum in corde virginum requiescit; vel cum illic per gratiam, quam ipse tribuit, quotidie augetur, & proficit. S. Justus Orgel. in Cant. 6. O candens lilium! ô tener, & delicate, flos; vide, quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est Mundus spinis. Versari in his, & minimè lædi; divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, ego vici Mundum. Considera lilia agri; quomodo inter spinas vigent, & nitent. Si fœnum, quod hodie est, &c. Deus sic custodit; quantò magis amicam, & sponsam suam charissimam? S. Bernardus f. 48. in Cant.

Tolle illum (Jeremiam) nihil, ei mali facias. Jerem. 39. 12. Præceperat Nabuchodonosor de Jeremia, multà de eo curâ providente Deò. Cur de sacra Domo id non mandat? cur non de tota Jerusalem? Quidquid grande est in Jerosolyma, donat flammis; unum servat Jeremiam. Sed Jeremias, Virgo est. S. Hieron. hoc enim verum Dei templum est, & hæc Sancta Sanctorum; quæ virginitatis puritate Domino consecrantur. Velloso in Judith 6. Paræn. 5.

Consolabor te Virgo, filia Sion. Thren. 2. 13. Quam filiam dixerat, appellavit & Virginem;

Rrr rr 2

ginem: nè, si tantum filiam nominasset, arbitraris & nuptam. S. Hieron.

Ex Novo.

Impone manum tuam super eam, & vivet. Matth. 9. 18. Cur Christus solum hos tres suscitavit? Archi-Synagogi filiam, filium viduæ, & Lazarum? Quia innupti erant, casto, & virgineo, corpore viventes: ac proinde aptiores, ut mortem fugerent, & vince- rent. Sylveira hic q. 14.

Non est puella mortua, sed dormit. Matth. 9. 24. Aptè puella duodecim annorum, dormire, non mortua esse, à Domino asseritur: quia Virginitas nescit occasum. Escobar t. 1. Mir. Chr. P. 4. Sect. 9. Obs. 3.

Clamor factus est: ecce sponsus venit. Tunc surrexerunt omnes Virgines. Matth. 25. 6. 7. Unde tanta illarum celeritas? Sanè maritata, & difficilius prægnantes, ad vocem Domini, non ita facile, & expedite, occurrissent. *Væ prænantibus.* Ec. Matth. 24. 19. Fernandus in Gen. 3.

Paulus servus Jesu Christi. Rom. 1. 1. Quid ad nuptiarum, vel castitatis, præcepta, commemoratio servitutis, ac libertatis, assumitur? sed nos sensum Pauli ita intelligimus: quòd servum dicat eum, qui jugali conditione constrictus est. Liber verò est, qui sine uxore per puritatem continentia venit ad Christum. Origenes l. 1. c. 1. h. c.

Volo omnes vos esse sicut meipsum. 1. Cor. 7. 7. Sed, ó Apostole Dei! sancte Dei! electe Dei! si omnes te imitarentur, unde filij, & filia? homines, & mulieres, nascerentur? Si omnes essent Virgines, unde nascerentur & Virgines? Unde genus humanum propagaretur, si omnino ab omnibus cœlibaretur? Sed utinam ab eo tempore, quò Christi Evangelium claruit; aut nunc, sicut ista vita decrevit, omnes viri, & mulieres, tenuissent, aut tenerent perfectissimè cœlibatum. Quòd autem sic compleretur numerus Electorum, & finiretur ista miseria; sive aliter provideretur in propagatione hominum; Deo possibile est, qui simul ac repente, ex nihilo eduxit militiam angelorum. O hominum magna temeritas, & infrunita vesania! quòd imaginatur, Dominum aliter homines educere non posse, nisi ex carnis corruptione. Unde eduxit angelos? unde sublimissimos cœlos? unde multitudinem stellarum? magnitudinem ipsarum unde composuit? quatuor elementa unde produxit? Utinam facerent homines, quod in eis est; & implerent per castitatem Domini voluntatem: faceret & Dominus omnipotens, quod in eo est; qui faciendi omnia, possidet omnimodam, & celerem, facultatem. Sicut dixit, & facta sunt; sic si vellet, & fieret. Videbat Apostolus, in Deo non deesse potentiam; quin aliter humanam naturam posset propagare. Videbat Joannes Bapt., cum Judæis dixit: *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abra-*

hæ. Luc. 3. 8. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ. c. 3.

Sequuntur agnum, quòcùnque ierit. Apoc. 14. 4. Virgines erunt continuè in societate Christi. Item erunt domicellæ B. Virginis. Alia siquidem mulieres erunt quasi famulæ; sed ista familiares magis quasi domicellæ. B. Humbertus f. 47. ad Moniales albas. Privilegium singulare; sed multò obtentum labore, & mortificatione: Cur autem Virgines speciali familiaritate in cœlo Christum dicuntur secutura? S. Antonius Pad. f. 1. de Virg. Virgines etiam ipsò Martyriò Domino assimilantur: si enim genus Martyrij est castitas in juventute, ut dicit Augustinus; quantò magis Virginitas tota? Hinc est, quòd Virgines sequuntur agnum, quòcùnque ierit. Ramirez in ep. 5.

Ex Patribus.

Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens subitâ morte prostratus est: neque enim vas aureum, & argenteum tam charum Deo fuit, quam templum corporis Virginalis. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Virginitas holocaustum Christi est. Univerfa castitas; sive in Virginitate, sive in viduitate, sive in continentia; hostia Christi est. S. Hieron. in Ps. 97.

Non dos hujus sponsæ sunt mancipia, non agri jugera; non tot, tantaque, aurea talenta: sed cœlum, & bona cœlestia. S. Chrysof. lib. de Virginit.

Primus sermo salutis factus est ad Virginitatem. S. Athanasius Alex. l. de Virginit.

Non ignoremus castitatis gloriam: Angelica enim est corona; & supra hominem hæc perfectio. Parcamus corporibus, quæ lucere debeat sicut sol. S. Cyrill. Jerof. Catech. 12.

§. V.

Virginitas quibus virtutibus ornanda, præsidij munienda.

Primò. Solitudo.

Gitur puella. Ec. Gen. 24. 14. S. Hieron. ex Hebræo, *alma*: quòd verbum nunquam, nisi de Virgine, scribitur; & interpretatur: *abscondita*. S. Thom. Aq. in Gen.

Egressus est à filia Sion omnis decor ejus. Thren. 1. 6. Causam in præcedentibus dixit: *omnes porta ejus destructa*. v. 4. Egremente multum domò Virgine, egreditur decor ejus. S. Ambrosius Exh. ad Virgines: Paradisus es, ó Virgo; Evam cave. Sicut paradisus est in loco tam occulto, ut non certò sciatur, ubi sit? sic etiam debet esse Virgo Deo dicata. Jonghen ex sacris Profession. p. 2. Exh. 1.

Nullus sit tuus sinè matre progressus; quæ sit anxia tui custos pudoris. Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit adolescentulis. Considera, quanta fuerit Maria; & tamen